



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Divi Bambergenses S. Henricvs Imperator S. Kvnegvndis
Imperatrix S. Otho Episcopvs**

Gretser, Jacob

Ingolstadii, 1611

Cap. I. De situ & moribus hominum Pomeranicæ Prouinciæ.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41527



* INCIPIT LIBER II. * Ita Cod. M. S.
 IN VITAM ET PEREGRINATIONEM S. OTTONIS BABEBERGENSIS EPISCOPI AC POMERANICÆ GENTIS
 Apostoli.

De situ & moribus hominum Pomerania Prouincia.

CAPVT PRIMVM.

Pomerania Prouincia ex ipsa nominis etymologia qualitate sui situs iudicare videtur. Nam *Sefridus.*
Lege prefat. e-
dit. Cans. in
lib. 2. Et hinc
corrige menda.
 pome lingua Sclauorum, iuxta sonat, vel circa: meritz autem, mare. Inde Pomerania, quasi Pomerizania, id est, iuxta, vel circa mare sita. Est autem terra hæc, si totam eius positionem tam in stagnis & refusionibus marinis, quàm in locis campestribus considerare velimus, quasi figura triangula, quia tribus lateribus, quasi tribus lineis per capita sibi coherentibus tres angulos habere apprehenditur: ita tamen, vt vnus angulus duobus reliquis sit extensior: qui etiam vsque ad Leuitiam, & prope Saxoniam versus Aquilonem ad fluctus Oceani paulatim recuruatus demittitur.

Itaque Pomerania post se in Oceano * Daciam habet & Rugiam insulam, paruam sed populosam: super se autem, id est, ad dexteram septentrionis Flauiam habet, & Prussiam & Rulsiam: Ante se verò, id est, versus Aridam, parua extremitate

* Daniam.
 Quorum terminos anguli.

tate se attingentes fines respicit Vngariæ & Moraviæ : dein Poloniam spaciola contiguitate vsque ad confinia Leusticiæ & Saxonici se habet attingendo extendentem.

*Quales olim
Pomerani.*

Gens ista terra marique bellare perita, spoliis, & raptu vivere consueta, naturali quadam feritate semper erat indomita, & à cultu & fide Christiana penitus aliena. Terra verò ipsa piscium & ferarum copiosam incolis præbet abundantiam, omnigenumque frumentorum ac leguminum siue seminum fertilissima est; nulla mellis feracior; nulla pascuis & gramine fecundior. Vinum autem nec habent nec quærunt, sed melleis poculis ex ceruisia accuratissime confecta vina superant Falernica. Sed de his aliâs.

*Fertilitas Po-
merania.
Vino caret.*

Nunc autem est expediendum, quod multis admirationi est, quare videlicet hi homines tam procul ab Orientali Francia, & Babebergensi Ecclesia, imò à toto Orbe pænè diuisi, non alium quemque de vicinioribus regnis vel Ecclesiis Baptistam, & prædicatorem, quam Babebergensem Episcopum habere potuerint. Sed hic fructus ad incrementum beatitudinis eius à Deo illi donatus est.

Psal. 117.

Tienno. *A Domino, inquit, factum est illud, & est mirabile in oculis nostris. Vnde, quo nam id ordine factum sit, nos audire delectat. At ille; à re, inquit, paululum digrediendum est, ut concurrentium causarum, & euentus & ordinem possim digerere.*

*De Boleslao Duce Polonia, & ex quibus
causis prædicatio illius gentis
orta sit.*

CAPVT SECVNDVM.

Sefridus.

*In edit. Canisti-
ana inchoatur
hic cap. 1. lib. 2.
Vbi, qua Andro-
as Sefrido as-
tribuit omnia
reperiet.*



Empore, quo Dominus meus Babebergensem regebat Ecclesiam, Boleslaus vir strenuus & prudens, & ingenue atque auitæ nobilitatis decore illustris, ducatum Poloniæ administrabat: qui dum